

# Landesbibliothek Oldenburg


Digitalisierung von Drucken

**Frisia antiquissima trans rhenu[m] prouinc. et  
adiacentium regionum noua et exacta descriptio**

**Quad, Matthias**

**Coloniae Agr., [1592?]**

[urn:nbn:de:gbv:45:1-323096](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-323096)



hæc prædicta, munita. Aër vtrunque salutaris est, nisi quantum paludum exhalatione infectatur, quanquam & id labis, si quid est, ventorum beneficio expurgatur. Maris sæuitijs ita obnoxia vt Choro flante sæpenumero periclitetur, atque dudum præterito 1570. anno, Cal. Nouemb. non pecudum modo, sed & hominum ad myriades vsque iacturam fecerit, vnde & in hodiernum diem diluuium istud. *Die Allerheyligen stuyt* vocatur. Obque has causas frumenti parum ferax est, inundationes enim annuæ, sementem aut extingerent, aut per agros omnes dispargerent. Vineta quoque ob nimium frigus, ventorumque rigorem regio non patitur. Sylvas etiam si habeat, tamen hæc sufficientes non sunt vt foco ligna ministrant. His itaque natura subuenit procreata gleba illa pingui ac bituminosa, quæ vento indurata lignorum penuriam subleuet, eamque in tanta habent abundantia, vt & vicinis regionibus subuenire illis queant. Sunt etiam nonnullæ in Oceano vicinæ insulæ ad hanc regionem spectantes, arenosæ tamen omnes, quarum incolæ ex piscatura præcipue viuunt.



2 LEUT / SCH



FRISIAE nominis origine, cum variæ & prolixa variorum sint disputationes & opiniones, quas compendij causa hic recensere nequimus, relegabo lectorem ad perfectum Frisicæ gentis historicum Suffridum Petrum Leouvardiensem, Frisium, qui abundè satis hanc rem tractat in libro quodam hic Coloniae impresso. A Frisone tamen duce quodam ipsorum sic appellatos esse Frisones seu Frisios verisimilima est sententia. Viglius Zvviemus vir vndique doctissimus, natione Frisol, affirmat Frisones nomen suum antiquissimè à seculis inde sibi vindicasse, nec vnquam, vt propemodùm omnes reliqui Germanorum populi, id mutasse, eoque; Ab originum nomine sese insigniuisse, quod in tanta caducarum omnium rerum confusione, ipsi originis suæ nomen intercidere non sunt passi. Veteres itaque hi Frisij & sedem & nomen tuentur suum, quamquam nonnullis & Chauci olim dicti creduntur. Fit autem id vel ex ignorantia, vel ex antiquorum geographorum scriptis haud probe intellectis. Chauci liquidem non Frisij, sed eorum fræres vicini, ac cum Frisij à Rheni ostio, cui Fleuo nomen est, ad Amasium siue Amesin vsque flu. continuo iuxta maris littora tractu habitent; Chauci ipsædem trans flumen vicini fræres, tandemque; abolito veteri vocabulo, toti in Frisiorum nomen concessere, hodieque; Orientales Frisij vocantur, quos hæc nostra tabula non complectitur. Ad eorum autem differentiam hæc nostra, Occidentalis Frisia dicitur, quæ eadem vera & antiqua illa Frisia est, quæ sola ipsædem sedibus nomen suum tuetur. Hi itaque; Vvionum I. maritimorum & littoralium natio sunt, littora Germaniæ Aquilonaria tenentes. Gens ipsa ferax, robusti corporis, atque animi intrepidi, ad necem prona, & libertatis studiosa, exterorum peregrinorumque; impatiens, castitatis amans, natos natusque; suas in corruptas educant ad maturam vsque; ætatem: nec matura sunt illis coniuugia, vnde proles accipiunt robustiores, in grandisculis corpora enascentes, potationibus plus æquo addicti. Rei pecuariæ magnopere dediti, cum innumeros greges alant, ac boves omnium quos Europa habet optimos ac maximos ipsorum procreet regio, licet Angliæ generosos gignat: ita vt hinc in omnem propemodum Europam abigantur, vaccis etiam fecundissimis abundant. Equos bello aptissimos educat magis quam gignit. Indies autem magis magisque; mercaturæ se applicant: nauticæ etiam rei studiosi, piscationibus insuper plerique; inhiant. Regio hæc in quatuor diuiditur status, quorum eminentior est Gruningensis, de quo præcedenti folio diximus, reliqui sunt comitatus de Oftergoi, comitatus de Vvetergoi, & comitatus septem Saluum, vulgo *Seuentwolden*, horumque; trium caput est vrbis Leouvardia, opulenta & munita satis, hæc aulam forumque; habet quo litigantium causæ cognoscuntur, diiudicanturque; Huic vicinus est Zvviem pagus, Viglij Præsidis Bruxellensis natale solium. Docum, Oostergoienensis diocesis oppidum Gemmam Frisium medicum ac mathematicum insignem nobis genuit. Stauerem oppidum hodie, olim potentissima erat ciuitas in strigto maris Australis, inundationibus autem frequentissimis ad inferiorem iam multò fortunam redacta est. Franichera diues & opulentum oppidum, in quo vt plurimum nobiliores homines degunt, quod perduellium sui principis (qui tum Saxonicus dux erat) obsidione fortiter sustinuerit. vnde amplo ab eo prærogatio, & priuilegijs præ cæteris Frisicæ vrbibus ornatissimè agrum habet, quem admodum & vniuersa Frisia planum ac pascuis fecundissimum, stagnis tamè, lacubus ac paludibus intercisum. Sunt & alia huius regionis nobilia oppida, arcibus castrisque; sicut

St 30

ALBERS 036

Kacteno 296